



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

§. 5. De Præstimoniis, Præceptoriiis, Assisiis, seu Mansionariis & Portionariis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

Ecclesiastico, Capitulo, vel Clerico, ratione Ecclesiæ, aut quia beneficium tale fundatum, vel dotatum est de bonis Ecclesiæ, aut quia illi Ecclesiæ à Laico donatur; ita Vivianus de *Jure Patron.* l. 1. c. 1. n. 144. Jus Patronatus laicale est, quod competit Laico, ex fundatione, constructione, seu dotatione Ecclesiæ cum consensu dioecesani: Jus Patronatus mixtum est, quod ex Patronis Ecclesiasticis & Laicis coalescit; sic Castropalaus *iv. 13. D. 2. p. 2. n. 2.* ex quo colliges, ad dijudicandum, *qualesit Jus Patronatus?* non esse considerandum, *quis possideat?* sed, *quoritulo?* sed de his ex professo agimus infra *tit 38. de Jure Patronatus.*

## §. 5.

*De Præstimonis, Præceptoris, Assis, seu Mansionariis & Portionariis.*

255 **Q**uamvis *Præstimonium*, absolute loquendo, sit portio ex beneficiorum proventibus detracta in perpetuum (quo distinguitur à pensionibus; nam hæ sunt vitalitiæ, seu concessæ ad tempus) ex fine tamen, in quem ordinatur, distinctionem subit. Nam *Præstimonium* aliud institutum est tanquam merces, & procerium, ut conferatur studentibus, aut militantibus pro defensione Ecclesiæ, absque alio spirituali onere: aliud, ut detur Clericis, cum onere recitandi officium divinum; sic Pereyra in *Elucidario n. 1288.* Si *Præstimonium* sumatur pro subsidio vitæ, dari solito de proventibus Ecclesiæ Clericis, aut Canonicis in Ecclesiis Cathedralibus, habentibus dignitatem, nisi detur in titulum, beneficium non est, secus, si detur in titulum. Nam sic inter beneficia numeratur teste Azor *p. 2. l. 3. c. 14. cit. q. 1. §. verumtamen in c. quoniam de concess. præbendæ in 6.* ubi addit, habentes *Præstimonium*, seu tale subsidium vitæ, eo titulo teneri ad horas, & sic *Præstimonium* numeratur inter beneficia simplicia, cum de se nullam habeat, qualitatem juris, de qua n. 259. & habentes ejusmodi *præstimonia*, quæ verè sint beneficia, ab onere & obligatione residendi, sunt immunes, ac liberi 1. quia sic usu & consuetudine est re-

ceptum, ut docet Abbas apud Azor *cit. q. 3.* Deinde, quia verum non est, omnino beneficio, jure communi, esse impositum onus residendi. Nam *c. fin. de Clericis non residentibus*, & alibi passim, dici solet, beneficia *quædam* esse, quæ residentiam exigant; *quædam*, quæ non, deinde esto, foret de jure communi, consuetudo tamen est contraria, sic Azor *c. 9. q. 2.*

Cum autem Concilium Tridentinum *Sess. 23. de reform. c. 17.* universaliter decreverit, ne duo beneficia, etiam simplicia uni Clerico conferantur, quando unum eorum ad vitam sufficit commodè sustentandam, sequitur, 1. quantum est vi Tridentini, duo, aut plura beneficia *præstimonialia*, aut unum cum alio dissimili simul obtineri, etiam Episcopi autoritate, & indulgentiâ non posse in eadem Ecclesia. 2. nec in diversis Ecclesiis, si unum sufficiat ad vitam honestè sustentandam. Coeterum ad titulum *præstimonii*, quod dari solet in *ritulum* Clericis, posse quem ad Sacros Ordines promoveri, docet cum aliis Barbof. in *Trid. Sess. 22. c. 2. n. 13.* & *Sess. 23. de reform. c. 8. n. 26.* sic enim illi provisum est de sustentatione ad dies vitæ.

*Præceptoris* est Officium *Præceptoris* 256 in Ordine religioso, pro quo notandum, in quibusdam Religiosorum Ordinibus (præsertim ad militandum, vel excipiendos hospitio peregrinos, vel curandos ægros, aut sustentandos egenos institutis) *administratores* domorum, prædiorum, annuorum reddituum, vel quorumlibet bonorum, ad ipsum religiosum Ordinem pertinentium, *Præceptores* vocari, qui sunt votis obstricti, & regulam sui Ordinis professi, & istorum administrationem seu Officium, *Præceptoriam* dici, de qua, si quæras, an ejusmodi *præceptoris* sit beneficium Ecclesiasticum? affirmat Azor *cit. p. 2. l. 3. c. 26. q. 9.* cum redditus jure suæ institutionis Canonice, propter suum officium, percipiant, de quibus arbitrato suo in honestos usus disponere possint, imò certam pensionem fructuum, juxta præscriptum regulæ, impendant: & quidem, si talis *præceptoris* conferatur in titulum, erit beneficium, non *manuale*; si solum ad tempus,

ante acceptationem non sortitur effectum & revocari potest, C. donatio tantum ex parte Donatarii, seu Collatarii, *N. min. & conseq.* Ratio communiter assignatur; quia magnum est discrimen inter Collationem, sive *Donationem beneficii*, & inter alias donationes. Collatio enim beneficii, etsi cedat in lucrum, & commodum beneficiarii, *ejusque respectu* sit donatio; non est tamen *ex parte Conferentis* propriè talis; quia Episcopus confert beneficia vacantia ex necessitate, & officio, cum illa sibi retinere non possit, & conferendo functus sit officio suo. *Arg. c. 18. de Jure Patr.* Secus est in donatione propriè dictâ, quæ procedit ex verâ & liberâ voluntate donantis, qui posset sibi retinere, quod donat; ideoque merito ante acceptationem revocare potest, imò & post ex causâ ingratitudinis, juxta *c. ult. de donat.* & ideo Pontifex etiam beneficium, quod aliàs est liberæ Collationis, vocat *non liberum* ut patet ex textu in *n. 244.* non quòd non sit ei liberum libertate excludente dependentiam ab electione, vel præsentatione; sed quòd non sit ei liberum, alicui conferre, vel non conferre, sed sibi retinere.

247 Sequitur 3. quòd Collatarius intra terminum præfixum, debeat consensum dare; aliàs collatori eo ipso, post lapsum termini, liberum manere, alteri conferre beneficium, sic tamen, ut, etiam post elapsum terminum, consensum præstare valeat, si Collator nondum alteri contulit, ut Collator alteri conferre non possit; quia, etiam tali tunc consensu præfinito, Collatarius acquisivit jus *in beneficio*, seu *in re*, ut dicere, *suum esse*, possit, per *c. si tibi*, de præbend. in 6. relato *n. 244.* potest autem hæc acceptatio fieri per Procuratorem, modò is speciale mandatum habeat ad acceptandum beneficium, saltem in genere, & indeterminatè, ut, *cum aliquid vacaverit*; si autem habeat mandatum generale, & acceptet, acceptatio pariter valebit, modò tu intra tempus præfixum ejus acceptationem ratam habeas; quia etiam in his, quæ speciale mandatum exigunt, ratihabitio locum habet *c. fin. de jure jurand. in 6. §. idem fiet*, ibi: *idem fiet, si (re expresse man-*  
Tom. III.

*dante, vel etiam ex post facto sciente, ac ratum habende, (seu non revocante) positiones, aut responsiones hujusmodi contrarias tuo nomine tuus fecerit Procurator.*

Præter hæc not. quòd is, qui scienter præbendam, quam conferre non poterat, contulit ignoranti, & bonam fidem habenti, tali præbendam evictâ teneaturque ei providere, cum primum potest, de alio beneficio vacante, & quidem sic, ut si illud alteri, & non ipsi conferat, collatio sit nulla; prob. *ex c. inter cætera 17. h. t. nam, cum H. & G. desiderarent permutationem Præbendarum suarum, & illas in manus Papæ, ut apparet, resignassent, isque jussisset præbendam Laudunensem dicto H. Assignari; interveniens verò Episcopus Laudunensis de eadem præbenda investivisset M. P. mandat Pontifex, ne, donec idem M. P. præbendale beneficium in illa fuerit Ecclesia affectus, ulli alij præbendam ibi assignet; ut quia præbendam ei, quam jure non potuit, assignavit, eam quam de jure potest, assignet, ne prius præbendam fraudulenter ei videatur assignasse.*

Idem habetur. 7. q. 1. c. *Præsentium* 249 3. ubi, cum quidam Episcopus Presbyterum, qui propter ægritudinis causam, per duorum mensium spatium suæ Ecclesiæ defuit, alium in eadem Ecclesia ordinassent, Gregorius ad Maximianum, Episcopum Syracusanum ita scribit: hortamur Fraternitatem tuam, ut causam ejus sollicitè perquiras, districtèque discutias, & si manifestæ ægritudinis, sicut dicitur, causâ, Ecclesiæ suæ eum defuisse repereris, *nullum ei ex ordinatione alterius Presbyteri permittas præjudicium generari: sed in locum suum sine aliqua eum fac dubietate restitui.* Illud autem Charitatem tuam specialiter admonemus, ut si vera fuerit hujus suggestio, atque in suum fuerit ordinem restitutus, *de Presbytero, qui in loco ejus ordinatus est, subtiliter, districtèque debeas esse sollicitus;* & si quidem *sine datione aliqua* ad eundem ordinem pervenerit, ut in simoniacam hæresin non potuisset incidere *in alia quacunque vacante Ecclesia eum volumus ordinari.* Sin autem in eo quippiam (quod averrat Dominus) fuerit tale re-  
pertum;

Pertum, ipso etiam Presbyteratus privetur ordine, quem non causa replenda necessitatis Ecclesie, sed sola comprobatur ambitione suscepisse.

250 Beneficium *electivum* est, quod datur per electionem eorum qui habent jus eligendi ad Ecclesiam vacantem, à legitimo Superiore confirmatam; de beneficiis electivis ex professo egimus *lib. 1. Decret. tit. 6. de Electione, & electi potestate.* Illud hic notandum, quod, cum non tantum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, sed etiam in Monasteriis, & Collegiis Regularium, vacante profecturâ, vel Superioratu, illis *per electionem* provideri debet, non possit ad ejusmodi profecturam, vel Superioratum, aut Officium seu administrationem promoveri *per electionem* Religiosus alterius Ordinis, ut diximus, *n. 165.* nec etiam Religiosus ejusdem Ordinis, sed in alio profectus, nisi illud ab isto sit dependens, vel ad hoc sit Canonicè translatus, ut dictum est *n. 165.* ne scilicet locum habeat in diversis locis, à se invicem non dependentibus, possit tamen *postulari*; cum impedimentum, obstant ejus *eligibilitati*, sit juris humani, ut *loc. cit.* ostendimus.

251 Observandum autem ex *c. Quorundam*, de Elect. in 6. à Bonifacio VIII. constitutum esse, quod nulli Religioso, quorumlibet mendicantium ordinum, ex electione, postulatione, provisione, si-ve vocatione ad aliquam, extra administrationem sui Ordinis, Prælaturam, in discordia de se facta, jus acquiratur, nec eorum aliquis tali provisioni, quoquo modo, valeat consentire, etsi Superioris suis accesserit licentia; Religiosi quoque alii, cujuscunque conditionis, neque ipsi provisionibus, aut vocationibus, à parte minori Capituli, vel Collegii, ad prælationes quaslibet, de se factis (quæ, utpote adversantes *c. Quia propter* nullam tribuunt vim) audeant consentire, etsi licentia suorum intervenerit Prælatorum.

252 Circa hoc. *c. Not. 1.* in illo sermonem esse de electione *passiva*, non activa, ut pat. ibi: *electioni de se facta*, & infra, *electionibus de se factis.* Deinde, textum loqui non solum de electione, sed etiam de præsentatione. Hæc enim

sub nomine *vocationis*, aut *provisionis* comprehenditur, cum æque ad vitandas lites, & ambitionem prohibitionis militet in illa, *tertio*, electionem in discordia factam, non convalescere, esto postea (tractu temporis) accedat eligentium concordia (excipe electionem Pontificis *c. licet de Elect. in 6.* ac electionem Monialis, *c. indemnitate eod.*) quia, quod in principio nulliter gestum est, tractu temporis non convalescit, nisi in casibus jure exceptis, *quarto*, textum non loqui de beneficio *simplici*, cum expresse loquatur de administratione, & Prælatura; Sanchez *cit. l. 7. c. 29. n. 51. quinto*, si Mendicans transeat ad ordinem non Mendicantium, & *tunc* eligitur, eum non indigere omnium, sed tantum majoris partis eligentium consensu, quia sic non eligitur, nisi *non Mendicans*; Contrarium dicendum foret, si non Mendicans transeat ad ordinem Mendicantium; *Sexto*, electionem à pluribus dupliciter fieri posse. 1. jure *Collegii*, *Communitatis*, vel *jure singulari*: si jure Collegii eligitur, electio facienda est à majori parte Collegii, si autem fiat, jure singulari, etiam 4. faciunt majorem partem, ut si ex decem, quatuor eligunt *Petrum, tres Paulum, tres Jacobum*; sic *Castropalaus cit. §. 2. n. 2. Septimo*, quando dictum est, requiri consensum *omnium eligentium*, intelligi etiam de consensu eligentium excommunicatorum, & jure inhabilium ad eligendum, modo sint capaces *defacto*, licet non *de jure*; sic decisum est in Clement. *quod circa* de Elect. non intelligitur tamen de his, qui sunt incapaces ex eo, quod non sint in sacris, vel professi, aut careant ætate requisita, nec etiam de absentibus non vocandis, vel vocatis, & nolentibus, aut suffragio renuntiantibus: quia hi, non jurisdictione, sed facta sunt inhabiles ad eligendum.

*Not. 8.* esto probabile sit, Religio- 253  
sum, semel legitime electum, non indigere amplius ea forma (quæ præscribitur in *c. Quorundam*) ad hoc ut in aliam Prælaturam eligatur, in praxi tamen secundam electionem faciendam esse, uti facta est prima, ita Sanchez *l. 7. c. 29. n. 48.* quia illa forma præscribitur servandam in electione *Religiosi ad Prælatu-*

tempus, *manuale*, sed *regulare*, quia solis Regularibus ea administratio convenit, de quibus aliquid insinuat *c. cum Deputati* 1. de iudiciis, ubi Innocentius III. ad Magistrum, & Fratres militiæ Templi, in Italia constitutos, rescribens, ait: Accipimus, quod quidam, tam seculares, quam Ecclesiastici Iudices, illos, quos habetis in domibus vestris *Præceptores*, in causis ad prosequendam suam iustitiam non admittunt, tanquam licitum non sit eis super litigiosis negotiis curam gerere, qui pacifici decreverunt studiis inhærere, illud allegantes in repulsione eorum, *quod eorum ipsis generatio non est nota*; qui undecunque venerint gratia divina vocati, dum laudabiliter exequantur officium sui Ordinis ex superabundanti requiritur suæ notio nationis, quibus positus, respondit: *ne quis igitur, in prosecutione causarum, Præceptores eosdem, ab agendo, vel respondendo, occasione huius repellat, auctoritate presentium inhibemus*. Ex quo colligitur, Regulares de consensu sui Superioris in causis civilibus suorum Monasteriorum, vel Collegiorum, habere legitimam personam standi in iudicio, *nomine communi*, de quo ex professo egimus *l. 2. tit. 1. de iudiciis*, ubi etiam ostendimus, id posse, *etiam nomine suo*, in rebus suis, Scholasticos nostræ Societatis.

258 *Affisi*, seu *Mansionarii*, ut notat Azor *cit. c. 9. q. 1.* vocari solebant quidam beneficiarii, qui in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis non quidem erant Canonici, servire tamen debebant in choro & precibus horariis, vel etiam Altaris Ministerio, aut Sacris celebrandis, ob id obtinentes portiones integras, aut dimidias. In Hispaniis etiam *Portionarii* vocari solent; alibi *Canonici de Mensa*, aut *Canonici instituti*. Ejusmodi *Affisi* dicuntur habere beneficium in tali Ecclesia, ut not. Azor *cit.* & tenentur ad residentiam. Nam esto consuetudine inductum sit, ut simplices Beneficarii, qui non sunt Canonici, aut *Portionarii*, possint ab Ecclesia abesse, modò per alios Ecclesiæ deserviant; ut notavimus *n. 262.* & docet Azor *cit.* quia tamen hi sunt *Portionarii*, istis consuetudo non faveret, & pat. ex *c. ad hoc* *cit.* ubi Greg. 9. mandat, Archiocheno Patriarchæ, ut re

vocet ad residendum Canonicos, & *Affisos*.

Præter hæc not. esse quædam beneficia, quæ *portiones* vocantur (& illa obtinentes, *Portionarii*) eorum nomine intelligendo; illos proventus Ecclesiasticos, qui ad vitam sustentandam in Ecclesiis, Cathedralibus, vel Collegiatis dantur certis Clericis, qui non sunt ejus Ecclesiæ Canonici, nec cum illis admittuntur ad communes tractatus; cum Canonicis tamen in Choro divinas laudes cantare, ratione sui muneris, & Officii, debent: ejusmodi *portiones* sunt beneficia simplicia: sunt *beneficia Ecclesiastica*, quia sunt jus percipiendi redditus Ecclesiasticos propter spirituale Officium ex institutione Canonica; sunt *simplicia*, quia ex institutione sua carent cura animarum, jurisdictione externa, præminencia, & administratione, quibus positus.

Quæres 1. an Clerici, habentes ejusmodi portiones, in suis Ecclesiis commorari, aut residere de jure cogantur? Respondet Azor *cit. c. 10. q. 3.* ante Tridentinum usu receptum fuisse, ut, licet abessent, per alios deservirent: Cœterum hodie in Trid. *Sess. 24. de reform. c. 12.* statutum est, ut in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, *habentes portiones*, vigore nullius statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, per annum, à suis Ecclesiis abesse possint, salvis tamen Ecclesiarum constitutionibus, quæ minorem absentiam concedunt, & paulo post subjungit: *omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia*.

Quæres 2. an quis possit habere simul duas, aut plures portiones? R. in Trid. *Sess. 24. de reform. c. 17.* decerni, quòd Episcopus possit Clerico unum beneficium habendi, quod ad ejus vitam honestè sustentandam non sufficiat, aliud simplex conferre, *dummodo utrumque non requirat residentiam personalem*. Ex hoc sequitur 1. quòd Episcopus nec in eadem, nec in diversis Ecclesiis, possit alicui *duas portiones* conferre, *portio* enim, ut dictum est, requirit residentiam personalem, sequitur 2. habenti portionem insufficientem honestæ sustentationi posse conferri aliud dissimile beneficium simplex, quod jure, consuetudine, vel privilegio

vilegio non exigit residentiam personalem. Limitat tamen Azor *cit. q. 4. dummodo utrumque non habeat in eadem Ecclesia.*

262 Præter hæc *Not. 1.* Clericos *Portionarios*, olim, dictos esse *Congiaros*, à congiario, seu congio, quod erat munus Imperatoris, dari solitum populo ad victum. Hinc etiam certa victus ratio in Ecclesiis dari solita Clericis, *congiarium* vocabatur, & accipientes *Congiarii*.

*Not. 2.* *portionem*, de qua in præsens agimus, aliam esse *integram*, aliam *dimidiam*. Portio integra est dimidius proventus annui proventus, qui singulis Canonicis obvenit, dimidia verò est quarta pars annui, proventus Canonico dari soliti, sic Azor *p. 2. Inst. moral. l. 3. c. 1. q. 5. sine.*

§. 6.

*De Patrimonio.*

263 **A** Gimushic de *patrimonio*, quia quandoque (nimirum ad effectum recipiendi Ordines iusto titulo) supplere potest *titulum beneficii*. *Patrimonium*, in rigore latini sermonis (teste Pereyra in *Elucidario* n. 743.) dicitur, quod nobis à parentibus relictum est, vel à maioribus obvenit. Tullius *pro domo sua*, ibi: *Liberis autem nostris, satis amplum patrimonium paterni nominis, ac nostra memoria relinquemus*. Frequenter tamen pro quibuscunque facultatibus, & bonis accipitur, & pro quocunque lucro, ad quod potest quis honestis rationibus anhelare. *L. Jura §. 1. ff. de muner. & bon.* Unde in *bonis esse*, ac, *esse in patrimonio*, idem valet *L. 1. ff. de Usuf. earum rer.* In jure, *patrimonium sacrum* accipitur pro eo, quod est Ecclesiæ, vel Imperatoris *L. 1. C. de indiction. lib. 10. juxta Gloss.* Coeterum *Patrimonii appellatione*, strictè, venit res Patris, seu hæreditas, quæ à Patre obvenit Filio. *L. cogi ff. ad Trebell. generaliter* verò continentur omnes res, & bona, quæ obvenerunt alicui undecunque, sic Rebuffus ad *L. Rei appellatio, pag. 45.* ex quibus patet, *bona patrimonialia*, idem esse, ac *Patrimonium*.

264 Sed *Not.* quando dicitur, *Patrimonium* sufficere pro titulo ad recipiendos Ordines, *patrimonium* accipi *generaliter*.

Nam habens tantum de bonis, unde vivat, & honestè sustentetur, licet habeat ex mera donatione, habet sufficientem titulum, ut ad sacros Ordines promoveri possit. *C. Tuis de præbend. c. Episcopus, eod.* ubi tamen advertit, in *Trid. Sess. 21. de Reform. c. 2.* dici, talem ordinari non posse *ad patrimonium*, nisi Episcopus judicaverit, cum esse assumendum pro necessitate, vel utilitate suarum Ecclesiarum, id, quod etiam declaravit S. Congregatio Cardinal. pro dubiis Trident. apud Azor *cit. c. 4. q. 1.* quibus positus.

Quæstio est 1. an *patrimonium*, ratione cujus aliquis est ad sacros Ordines electus, sit beneficium Ecclesiasticum? *æ.* negativè, quia non *vacat* obitu talis Clerici, sed transit ad hæredes; nec ab Episcopi autoritate in beneficium transivit; & si quod habuit, retinet onus pendendi decimas. Abb. in *c. Tuis de præbend. in 6.* Advertendum autem, *patrimonium*, cujus titulo quis est in Sacris ordinatus, non posse alienari absque consensu Episcopi (idem est de aliis bonis, quorum causa quis ordinatus est) *donec* beneficium Ecclesiasticum habeat, & aliunde obtineat, unde commodè vivere possit; sic communiter DD. in *cit. Tuis, & constat ex Trid. Sess. 21. c. 2.* Si autem nactus sit beneficium, tutà conscientia potest *patrimonium* alienare, sic Azor *cit. c. 4. q. 3.* si dicas: ergo etiam is, qui v. g. habet titulum mensæ ab aliquo, & ad illum ordinatus, obtinuit beneficium in titulum, licitè potest sine consensu Episcopi, illi titulo mensæ renuntiare. *æ.* posse, quia decreti Tridentini, alienationem prohibens, solum loquitur: *donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens obtineat*, vel aliunde habeat sufficientem sustentationem.

Quæstio est 2. an sit necessarium ex-primere, *haberi patrimonium sufficiens*, si quis Papa supplicet pro conferendo beneficio? *æ.* debere exprimi, si velit impetrare per rescriptum *justitia*, non, *gratia*. Sic Azor *cit. q. 4.* Rescriptum, seu *littera justitia* vocantur, quibus conceditur Clerico beneficium *intuitu indigentia*, & ideo dicuntur dari in forma communi: quando autem Pontifex dat *liberaliter*, & non intuitu paupertatis, seu indigentia dicuntur *littera gratia*, & dantur in forma